

rat ; quippe qui aliquanto antea , quam ad Calcinatum 1484
 castra admovisset , ganzarias plerasque ad Piscariæ & to-
 tius Benacensis oræ præsidium instruxerant : mandaverant
 ad hæc , ut & triremis quæ Lagisii erat , subito in la-
 cum deducta , armisque & viris instrueretur . Negocium
 primo Petro Marcello Andreæ filio datum : qui tam diu
 classi præfuit , donec Petrus Duodus jussu Patrum eo
 missus est . Nondum hostis ex Calcinato moverat , quum
 Thomas Himulanus , qui circa Padum peditibus præerat ,
 fluvio ante lucem superato , cum paucis peditum centu-
 riis suburbana Stellatorum tecta , & munitiones arcis cir-
 cumiectas repente est adortus : aderant & socii navales
 militibus mixti . Tecta itaque modico negocio occupata
 diripiunt , direptaque incendio absunt : æneas machi-
 nas & alia bellica instrumenta ex hostium munitionibus
 sublata , in naves deportant ; inde animadversa militum ,
 qui in arce erant paucitate , ferocissime eos invadunt .
 Tantus fuit militis navaliumque sociorum ardor , ut mo-
 mento temporis pars arcis capta sit : tum qui superiore
 loco erant , de ditione facienda cum Himulano primo ,
 inde cum Andrea Zancano , qui classis præfectus erat ,
 longum de industria terunt sermonem , rati videlicet fo-
 re , ut non multo post ex Ferraria subsidium adesset .
 Quod ita sene evenit . Nam ubi ad urbem tumultuose est
 allatum , Stellatinas munitiones cum parte arcis ab hooste
 occupatas , remque in discrimine esse , ut nisi mature
 laborantibus subveniretur , vellent nollent cogerentur dedi-
 tionem facere : Hercules subito cursu cum expeditissimo
 equite prægressus , reliquis composito agmine adesse ju-
 sis , ex improviso se Venetiæ circa arcem ostendit . Tum
 certamine repente injecto , navalibus sociis ad naves se
 trepide recipientibus , miles hosti cædendus relinquitur .
 Sustinuit tamen ab initio nonnihil hostium impetum : ve-
 rum ubi majores copiæ affuere , præcepis ad flumen datus
 est : multi , abductis jam navibus , spe ad suos enatandi in
 aquas projecti impetu fluminis periæ ; nonnulli circa ri-
 pas ferro oppressi , plures tamen capti , in quibus Himu-

lanus

*Venetus pe-
 ditatus ad
 Stellata
 Herculis
 interventu
 ad flumen
 præcepis da-
 tur .*